



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 197. Lutherani Jubilæi indictio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

§. CXCVI.

*Jubilæum a Paulo V. indictum ad
divinam opem in præsentibus
Ecclesiæ necessitatibus exo-
randam.*

*Bulla Magn.
Clemen.
VIII. Const.
58. & Pauli
V. Const.
104. tom. 3.*

Quamvis Clemens VIII. pro anno Chri-
sti millesimo sexcentesimo Anni Sa-
cri gratias edito diplomate jamjam pro-
mulgasset, nihilominus Paulus V. pro
more Pontificum Antecessorum pro im-
petrando Divino auxilio, urgentibus
maximis Ecclesiæ ac Reipublicæ neces-
sitatibus, hoc anno speciale Jubilæum
Sacrum ad duas hebdomadas Romæ
die duodecima Junii indixit, præscri-
pto præter solitas Templorum visitatio-
nes, jejunio in feriis quarta, sexta &
Sabbato, necnon eleemosyna, prout
charitas singulis suggererit. Ceterum
Pontifex hujus Jubilæi diploma ad Mo-
guntinum Archiepiscopum transmife-
rat, ab eo promulgandum. *Optime
consultum, inquit Gramondus per stata
tempora renovari publicas preces, per quas
Sacri effusione thesauri, fidelibus gratia
Dei infundatur.*

§. CXCVII.

Lutherani Jubilæi indictio.

Hic

Hic idem annus, qui Catholicæ Re-
 ligionis millesimus sexcentessimus
 decimus septimus erat, pariter Luthe-
 ranis primus sæcularis seu centesimus
 fluxerat, quamvis igitur de sectæ suæ
 pueritia potius erubescere debuissent,
 atque ex continuis, quibus ea sensim
 ad perfectiorem statum humana ope
 perpoliebatur, doctrinæ variationibus
 cognoscere potuissent, quod hic foetus
 a bello per Lutheri buccinam Catho-
 licis indicto centenarius, haud amplius,
 quam puer centum annorum profece-
 rit, spurio tamen Catholicos imitandi
 studio incitati, complures Verbi Lu-
 therani Ministri, jubilæi plausum esse
 celebrandum eo fine autumarunt, ut
*pro renata Evangelii, divinique Verbi pu-
 rioris (uti loquebantur) luce,* seu ve-
 rius pro obtentis carnis libertate, &
 Ecclesiarum bonis publicum gaudium
 testari possent. Eapropter Mense Au-
 gusto Joannem Georgium Saxoniae
 Electorem, in cujus terris spuria hæc
 lux primo exorta est, impense rogabant,
 ut hæc orgia per omnes Saxoniae ter-
 ras indiceret, utpote 'cui in eas non
 minus juris, quam apud Italos Paulo V.
 in Romam, orbisque Catholici Regio-
 nes esset. Annuit eorum petito Se-
 ptemvir, qui hac de re decretum, quo
 præcipue Lipsiensem Universitatem sti-
 mula-

Sæc. XVII.

A. C. 1617.

Gramond.

Hist. Gall.

l. 2.

Merc. Gal-

lob. t. 12. l. 1.

Sæc. XVII. mulabat, his verbis conceptum die
 A. C. 1617. duodecima Augusti promulgari iussit:
Matura præmissa rei totius deliberatione
 constitutum est, ditionum mearum universis
 populis (quippe qui purioris doctrinæ lumi-
 ne, vel in primis, & inoffense sæculo jam
 solido sunt perfructi) solemnitatem indice-
 re triduanam, profanarum occupationum
 omnium immunem, ac sacris tantummodo
 negotiis dedicatam. Dies autem erunt, men-
 sis Octobris postremus: Novembris vero pri-
 mus & secundus. His porro præmittun-
 tur, ceu profestum, ac semiserialis Octo-
 bris trigessimus: utpote cuius horæ prome-
 ridianæ destinatæ sint psalmodicæ vesperti-
 næ, delictorum confessionibus excipiendis;
 & animorum in sequens triduum apparatus
 cetero. Triduum autem ipsum in urbibus
 cum primis & oppidis transigatur sumptio-
 ne Cœnæ Dominicæ; cantilenis populo de-
 signandis, & binis indies concionibus; an-
 te meridiem una; sub vespere altera: nisi
 quod secundi tertiique diei sermones matu-
 tini singuli paganis ac villaticis auditoriis
 sufficere debere videantur. Concionum por-
 ro quarumcunque fiant in templis ac cœti-
 bus, non cuiusvis dicentis ad arbitrium,
 sed e voluntate Principis argumenta, ma-
 teriesque pertractentur.

Acceptis hisce literis Lipsienses, &
 Württembergenses Theologi, quin hanc
 rem

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

rem esse novam, & inter ipsos antehac nunquam usurpatam (prout tamen Catholicis objectare solebant) quererentur, hanc festivitatem omnibus suæ sectæ affectis e suggestu annuntiarunt, eis tamen præter Cœnam, conciones & cantilenas nil aliud præscripserunt, ne conscientias gravarent illorum, qui *in libertate vocati persistere, nec jugo servitutis se submittere, sed cœlestem illam μαγαδνητω B. Lutheri fundamento Propheticae & Apostolicae Scripturae fultam, & sanguine Martyrum obsegnatam fideliter tueri debent.* Dolendum sane, quod Prophetica & Apostolica eorum Scriptura per quindecim omnino sæcula nullius Martyris sui sanguine obsegnata fuerit: Rideant nihilominus, prosequantur Wittenbergenses, hoc institutum nostrum Papæ satellites, Jesuitæ cum omni suo Clero, struant insidias, cogitent dolos, fabricent machinationes, quibus sanctam hanc festivitatem interturbent, & ex Jubilæo nostro Ejulejum faciant, sed & Dominus Deus noster irridebit eos. Postea idem Elector Coburgensem quoque Ducem ad ejusmodi solemnitatem datis literis incitabat, ad cujus imitationem Spirenses Ministri pariter ad eandem lætitiâ Argentinenses sollicitarunt, quamvis Saxonum & Heidelbergensium ritus, huncque Jubilæum

Sæc. XVII. celebrandi modum, ne cum ipforum
 A. C. 1617. vitulis arasse viderentur, rejecerint,
 atque peculiare textus feligere voluerint, petentes ab Argentinensibus, ut quæ ipforum desuper sententia esset, aperiant, & cum Wormatiensibus communicare velint, ne ob rituum diversitatem Jesuitis calumniandi ansam præbeant. Ceterum in omnibus hisce tam Saxonum quam ceterorum literis solita sectariorum modestia Romanus Pontifex sat liberaliter *Balylonica & Apocalyptica Bestia, Antichristus, Apostata, Tyrannus, Draco*: Ecclesia autem Catholica, *Idolomania Gentilis, & Tyrannis Antichristiana*, Catholici denique *aperti Impostores* nuncupantur, cum tamen hosce Lutheranos Catholicorum nemo sane lacefferet. Porro non modo Wormatienses, Francofordienses, Norimbergenses, aliique Lutherani hoc idem indixere Jubilæum, sed etiam Calvinistæ, quibusdam tamen immutatis; quippe nullam confessionis deponendæ mentionem fecere, nec nomen Calvinii, nec inchoatæ suæ defectio- nis diem, ut ait Gramondus, in suis literis indicarunt, sed duntaxat stata die solemne præscripserunt Professoribus thema *enarrandis caussis, ob quas centum abhinc annis Ecclesie Evangelicæ (id sibi nomen arrogat) a Romana defecerint,*

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

cerint, id que prima die; in secundam, thema Theologicum erat de Sacerdotum in sacris negligentia, de alto Regum sopore in iis, que ad fidem spectant, de Josuæ vigilantia, collapsa restaurantis; in tertiam diem indicta Professori primario, oratio in hanc Summam, uti lapsis in errorem Sanctuarii Ministris, ut vulgatis perperam fidei arcanis, ut invalescente magis ac magis superstitione exortus tandem aliquando Lucifer, qui caligantibus præluxit, reduxit in viam erroneos &c. Ita exactum apud Sectarios jubilæum. Sic imitatur homines Simia putidum & infame animal; sic mentitur humanam Psittacus vocem, cujus non capit ipsos articulos, nedum abstrusa sensus: sic Hyæna devorat, quem imitata voce allexit hominem. Ceterum Lutherani Præcones tot calumniarum & dictionum plaustra in Catholicos exonerarunt, ut Lutheranismi essentia & gloria in convitiandi libertate posita videretur, haud alio declamationum fructu, nisi quod exinde Catholicorum animi magis fuerint exacerbati, & Protestantes omni mali & proximæ cladis calamitatem sibi metipsis accerferint, uti quidam Sectarius ipsemet testatur (*).

X x 2

§. CXCVIII.

(*) Es ist schon im vorigen Kapitel die Klage einiger verständigen angeführet worden, von der
Unge-